

iamdiu ab hac Apostolica Sede decreta sunt, id est, qui ab his consuetis mysteriis meditandis recesserint, eos Rosarii indulgentias nullas lucrari (4).

Sodalitatum rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie vel saltem quam sæpissime, maxime in festi beatæ Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur; retenta consuetudine huic Sanctæ Sedi probata, ut per gyrum cuiuslibet hebdomadæ singula mysteria ita recolantur: *gaudiosa*, in secunda et quinta feria; *dolorosa* in tertia et sexta; *gloriosa* tandem in dominica, quarta feria et sabbato (5).

XIV

Inter pios Sodalitatis usus merito primum obtinet locum pompa illa solemnitas, qua, Deiparæ honorandæ causa, vicatim proceditur, prima cuiusque mensis dominica, præcipue vero prima Octobris; quem morem, a sæculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique summi Pontifices indulgentiis locupletarunt (6).

Ne autem huiusmodi supplicatio, saltem intra ecclesiam, ubi temporum iniuria extra non liceat, unquam omittatur, privilegium a Benedicto XIII Ordini Prædicatorum concessum, eam transferendi in aliam dominicam, si forte ipso die festo aliqua causa impediatur (7), ad omnes Sodalitatum sacratissimi Rosarii rectores extendimus.

(4) S. C. Indulg., die 13 Aug. 1726.

(5) S. C. Indulg., die 1 Iul. 1839 ad 5.

(6) S. Pius V *Consueverunt*, die 17 Sept. 1569; Gregorius XIII *Monet Apostolatus*, die 1 Apr. 1573; Paulus V *Piorum hominum*, die 15 Apr. 1608.

(7) Constit. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727, § 18.